

De dysenteria commentarius / Auctore Marco Akenside.

Contributors

Akenside, Mark, 1721-1770.

Publication/Creation

Londini : Apud R. et I. Dodsley, 1764.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vjcpxcj5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

LONDON MEDICAL SOCIETY OF

D. 9. 11

19

DE

DYSENTERIA

COMMENTARIUS.

AUCTORE

MARCO AKENSIDE,

COLL. MED. LONDIN. SOCIO, REG.
SOCIET. SODALI, ET MAGNAE
BRITANNIAE REGINAE MEDICO.



LONDINI:

APVD R. ET I. DODSLEY,

MDCCLXIV.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30786964>

INDEX CAPITVM.

	Pag.
Cap. I. <i>De dysenteria historia.</i>	I.
II. <i>De dysentericorum cura- tione.</i>	31.
III. <i>De causis dysenteriae.</i>	58.
IV. <i>De actione ipecacoanhae in dysentericos.</i>	76.

INDEX CAPITVM

Page


Cap. I. De differentia disticta. 1.

II. De differentiarum cura-

31.

38.

76.



D E

D Y S E N T E R I A

C O M M E N T A R I V S.

C A P V T P R I M V M.

De dysenteriae historia.

QVI graviora patitur ventris tormina, simul cum frequenti desidendi cupiditate, et cum dejectionibus vel sanguineis vel mucosis; eum hominem dysenteria laborare omnes consentiunt medici. Neque ulli morbo imponenda est haec appellatio, nisi in quem tria illa signa conveniunt. Caetera quae solent ex eo aegrotantibus accidere, non ad eandem normam, sed alii aliter auctores describunt. Cum

B

autem

2 *De dysenteriae historia.*

autem mihi contigerit, per plures annos in frequentissima hujusce mali tractatione versato, nonnulla observare, quae ab aliis vel praetermissa sunt vel aliter explicata, et quorum cognitio, ni fallor, ad communem utilitatem haud obscure pertinet; statui in publicum proponere quicquid hujusmodi experientia propria comprobatum est. Itaque primum ea recensero quae aliquid ad historiam morbi augendam atque illustrandam conferre possunt; ita tamen ut aliorum observationes quam minime transcribam, iterumve. Dein vero commemorabo quae in dysentericorum curatione felix plerumque eventus mihi commendavit. Nonnulla denique subjiciam quae morbi theoriam spectant et medicamentorum facultates.

IN his autem exequendis, tametsi ab aliorum sententia saepe discessero, nihil tamen idcirco vel de fide eorum, vel de diligentia detrudere studeo. Varias enim fiunt diversis temporibus eorundem morborum facies: ita ut hoc anno id forte symptoma singulis decumbentibus adsit, quod qui per annum insequentem in ejusdem generis morbis expectabit, frustra omnino fuerit medicus. Imo de ipsa dysenteria pronunciavit^a Sydenhamus, fieri posse *ut variae enascantur ejus species, ut sunt variolarum et epidemicorum aliorum, et quae proinde medendi methodum in aliquibus diversam sibi suo jure vindicent.* Quinetiam si res aliter esset, non magis tamen excusatione ulla indigeret haec, qua utimur, libertas. In omni enim philosophia suum ea

^a *Observat. de morb. acut. sect. 4. cap. iii.*

4 *De dysenteriae historia.*

locum vindicare debet: praecipue vero in naturalibus quaestionibus, ubi mentem humanam extra seipsam proficisci oportet, ut sciendi occasionem et materiam captet. Quod si magnorum hominum reverentiam violare existimaretur, quicumque ab eorum opinionibus dissentiret; fieri non posset ut progressum ullum haberent vel incrementum caperent haec studia: sed evenisset potius ut in perpetua quasi infantia restarent. Quod de una medicina, inter tot artes atque facultates, jure ac merito praedicari potest.

IMPRIMIS igitur de dysenteria observandum habeo, eam perraro in morbis acutis reponi debere, aut febre ulla comitatam esse: quod non ita tradiderunt qui recentiorum saltem medicorum principes habentur. Antiqui quidem scriptores illam potius sententiam, quam

quam nos amplectimur, auctoritate sua corroborant. Contra vero ^a Sydenhamus morbum docet non semper quidem, plerumque tamen, ab horrore et rigore incipere: tum his succedere totius corporis calorem, ut in febribus solenne est. Imo in constitutione quadam aëris et morborum popularium describenda, diserte ait ^b dysenteriam fuisse ipsissimam, quae in illa constitutione regnaret, febrem; hoc tantum discrimine quod introverteretur, et in intestina se exonerans per eadem viam sibi faceret. ^c Meadus autem conceptis verbis affirmat eam ab inflammatione oriri; neque unquam esse sine febricula. Quod ita Boerhavi animo infederat praesudicium, ut in toto aphorismorum libro nullam dysenteriae mentionem ille faciat, nisi in notione explican-

^a *Loco citato.*

^b *Ibid. sect. i. cap. ii.*

^c *Monita et praecept.*

med. cap. vii. sect. 1.

6 *De dysenteriae historia.*

da diarrhoeae febrilis, aut dum ulcerationes quasdam enarrat, quibus intestinorum inflammatio aliquando terminatur. Sed, ut verum fateamur, a Boerhaavio, fuerit ille quamvis ingeniosissimus et candidissimus vir, minus tamen sperandae sunt accuratae morborum descriptiones; qui per totam vitam in eo praecipue exercebatur, ut juventutem studiosam elementa medicinae doceret ad perfectae scientiae similitudinem, geometrarum fere modo, constructa et quasi aedificata. Quicumque enim tali negotio se dedit, fiet paulatim in causis rerum assignandis largior et ambitiosior: ipsas porro causas ampliare studebit, ita ut quamplurima eorum, quae in conspectum veniunt, comprehendant illae atque interpretentur. Ista enim ratione praeceptor et operae parcat suae, et simul auctoritatem majorem apud discipulos comparat, quam

quam si res ipsas strenue persequi et earum varietates denotare constituisset; dum interea causas et principia de quibus pendent, ignorantiam suam professus, aliis vestiganda et detegenda relinqueret. Sed verisimile quoque videtur Boerhaavium in hac re Aretaei sui auctoritate commotum fuisse. Quamvis enim plerique, vel omnes forte, veteres medici, inter dysenteriae causas, ulcera speciatim commemorant; alii tamen et aliis rationibus utuntur in declaranda morbi natura. Solus Aretaeus^a, dum singula illius symptomata designat, eorum varietates, nulla alia adhibita ratione, ad varia intestinorum ulcera refert. Ulcus autem nonnunquam dysenteriae^b effectum fuisse, facile concedi potest; causam vero, vix adducor ut

^a *De morb. diuturn.* | *de caus. et sedib. mor-*
lib. ii. cap. 9. | *bor. epist. xxxi.*

^b Vide *Morgagnum* |

8 *De dysenteriae historia.*

credam ; nisi ubi aeger alio quodam
intestinatorum affectu prius labora-
verit, unde ortum ulcus speciem
quandam dysenteriae abnormem in
ultimo rerum statu induxerit. Isti-
usmodi autem dysenteria, in de-
cursu morbi ordinario describen-
do, nullum prorsus locum obtinere
debet.

NEQVE sane veritati magis con-
sentaneum videtur, ad inflamma-
tionem hujus morbi initia referre.
Intestinatorum enim inflammatio
nunquam non febrem magnam et
ardentem excitat ; tum alvum sic-
cat semper et occludit. Ex ea
constipatione periculi magnitudi-
nem aestimamus ; et, ea relaxata,
rem fere salvam esse arbitramur.
Quapropter inflammatio contraria
videtur dysenteriae indoli ; cujus
magna pars est in dejectionibus ni-
mio plus frequentibus posita. Febris
vero

vero indicia raro quis evidentiora apud dysentericos perspiciet. Neque enim, si forte ex intestinorum dolore pulsus aliquando celerior fiat, neque si ob alvi fluxum fitis nonnunquam urgeat, aut lingua albedine quadam obducatur; protinus id feбри imputare oportet. Haec enim, sedato intestinorum tumultu, sponte evanescent; nec arctiorem necessitudinem habent cum dysenteria, quam cum multis aliis diuturnis morbis. Sed apud quem vera febris dysenteriam antecederet, aut simul cum ea decurreret, vix e decem, qui ea laborarent, unum observavi. Contraria quidem omnia. Facies plerumque pallidior est, et quasi extenuata: oculi nitidi vividique: pulsus exilior, neque celerior solito, nisi quo tempore alvi dolores acutiores forte sunt et diuturniores: rigor nullus, neque calor: et quod omnem dubitationem tollere potest,

potest, morbus sibi relictus plerumque admodum longus est; adeo ut, ex nonnullis eorum qui illius causa in meam curam se tradiderunt, intellexerim ipsos ab illo jam antea per duos vel tres menses fuisse vexatos. Proinde morbi depulsio non, ut febribus evenit, paucarum horarum opus est, e subita humorum conversione pendens; sed tarde et gradatim perficitur, repetito eorundem remediorum usu. Haec, inquam, solita morbi indoles est, prout eum ipse observavi per quinque vel sex annos in magna dysentericorum frequentia, quos Divi Thomae nosocomium perpetuo fere suppeditabat, et quorum plus centum et triginta in tabulis descriptos habeo. Fieri quidem potest, et nonnunquam fit, ut in hominibus calidiori praeditis temperamento, aut quibus aliae superveniunt febriendi causae, manifestiorem febrem dysenteria

enteria secum conjunctam habeat :
tum in castrensi vita, aut in singu-
lari quadam aëris atque victus con-
ditione, alia fortasse erit morbi for-
ma. Et tamen in saeva illa dysen-
teria, quae anno MDCCXXXVI^a Ne-
omagi grassata est, et in castrensi
illa quam medicus doctissimus^b Jo-
annes Pringle descripsit, adeo parva
fuerunt et obscura febris indicia, ut
eorum nullam fere rationem haben-
dam esse jure optimo videretur. Ad-
eoque huc demum res redit ; dyf-
enteriam, rheumatismi five morbi
articularis instar, nonnunquam fe-
brem aliquam in se continere, aut
secum sociatam ferre ; longe tamen
saepius diuturnum esse morbum at-
que ab omni propria febre vacare :
et hoc etiam multo magis quam
ipse rheumatismus.

^a Vide Degnerum de | *eases of the army, ch.*
dysent. pag. 16, 22. | *v. sect. 1.*

^b *Observat. on dis-*

HVIC affinis est altera observatio, quae, cum constans fuerit et diuturna, discedere a magnis auctoribus me coegit; dysenteriam nempe totius anni propaginem esse, neque ulli certae tempestatì adscribendam. Ex Sydenhami quidem auctoritate, communis fert medicorum opinio initia autumnì morbo huic nascendi tempus praebere, et initia hyemis senescendi: sed raro eum in adultam hyemem produci. Rem vero longe aliter aliquando se habuisse, vel Galeni testimonium convincere potest: qui vere potissimum et aestate dysenteriam homines infestare^a ait. Hodie sane, et in his Britanniae regionibus, aestivi menses hoc malo minime frequentantur. Subsequens vero autumnalis coeli conversio, et aer in

^a *In libr. Hippocr. de natura humana comment. prim.*

frigus et in humiditatem inclinatus, corpora hominum hujusmodi valetudinibus magis obnoxia reddit. Aliquid porro conferre potest fructuum autumnalium usus incautior; quamvis multos homines ea tempestate dysenteriis corripere videmus, qui ab illa se luxuria omnino abstinerant. Verum ut procedente hyeme dysenteriae abigantur, quod^a Sydenhamo visum est, neutiquam ego confirmare possum. Contra quidem in annis MDCCLX, MDCCLXI, et MDCCLXII, per totam hyemem persistiterunt illae, haud infrequentiores aut minus molestae quam in ipsis autumnii initiis fuerant: neque quicquam ex solita pertinacia remiserunt, donec ver adultius coeli et ventorum rigorem mitigaverat. Quod, ad originem morbi indagandam, et ad arctam ejus cum rheumatismo affinitatem illustrandam,

^a *De morb. acut. sect. iv. cap. i, ii, et vi.*

14 *De dysenteriae historia.*

haud paulum facere arbitror. Nam et hic quoque, nisi ubi cum febre acutiori conjunctus est, hyemem multo magis quam aestatem persequitur. Porro in autumno anni MDCCCLXII, dysenterici, quorum ingens tunc temporis erat multitudo, longe saepius febricitabant, quam qui in subsequenti hyeme eodem morbo decubuerunt; tametsi caetera morbi symptomata nihilo mitiora per hyemem facta sunt. Cujus simile quiddam etiam rheumatismo, ni fallor, plerumque accidit: eum scilicet in aestate saepius quam in hyeme febrem conjunctam habere; quamvis ipse morbus per hyemem frequentior esse solet. Haec tamen non nimis angusta interpretatione excipi debent: dum enim ea describo, per ultimos exeuntis anni MDCCCLXIII dies, una atque altera curanda occurrit dysenteria, quae febrem satis notabilem secum trahit.

Satis

Satis est si ista, quae protulimus, longe plurimum, etsi non semper, rebus ipsis confirmata reperiantur.

Id quoque crebro observare contigit; dysentericos saepius et diutius, quam pro auctorum testimonio, nausea et vomendi necessitate affici. Hujus quidem alii mentionem faciunt, sed tanquam levioris cujusdam incommodi, quod in solo morbi principio molestiam exhibet. Verum ego per plures dies ter quaterve quotidie aegros vomitare cognovi; neque ante ab isto symptomate liberari, quam caetera morbi violentia maximam partem superata esset. Imo unum hominem curavi qui, priusquam meum consilium petiit, per sex hebdomadas tertio vel quarto quoque die sponte vomuerat: itemque alterum, cui per totos tres menses illa aegritudo multo saepius renovata fuerat.

QVOD

QVOD autem ^a Sydenhamus in-
nuisse potius visus est quam confir-
masse, id fere semper evenire nota-
vi; ut prima morbi vis intestina
tenuia potissimum occupet; et dein
ordinato cursu ad rectum perveniat.
Quin ubi tormina fere evanuerunt,
in nonnullis tamen hominibus te-
nesmus jam tandem importunior
fieri videtur; acri illo mucos, quo
prius jejunum atque ileum scatue-
rant, nunc a solius recti vasculis
profluente. Ex hac morbi consti-
tutione accidit quoque ut, cum
homo et sibi et medico suo salvus
omnino atque sanus esse videtur,
ejus tamen dejectiones lineis qui-
busdam et quasi vestigiis sanguinis
tingantur; tametsi in priori et ma-
gis periculoso morbi stadio, nullum
prorsus dejecerat sanguinem. Ni-
mirum longinquitate mali ita tene-

^a *De morb. acut. sect. 4. cap. iii.*

rae fiunt intestini recti tunicae et vasa quae iis insident, ut quantulacunque dejectionum acrimonia vulnerentur. Postquam vero impetus iste morbi in colon et in rectum subsederit, saepe fit ut faeculenta quaedam, ex alimentorum digestionem relicta, in tenuioribus intestinis diu immota haereant; donec sub finem morbi, viribus demum suis omni abdominis parti restitutis, detruduntur; cum jam mora ista longe acriora facta sunt: ita ut descensu eorum dolor haud levis excitetur, et per diem unum alterumve sanguis etiam eorum transitum sequatur. Tenesmo interea adeo distenduntur et debilitantur venae haemorrhoidales, ut post longam dysenteriam iis fere solenne fit in caecos tumores cedere, quos nonnunquam comitatur dolor valde acutus. Quinimo ob easdem causas procidentia sedis, praesertim in corpore

18 *De dysenteriae historia.*

laxiori et tenuiori, haud raro morbum concludit: quod et ^a Degnerus quoque in populari dysenteria Neomagenfi commemoravit.

HIS vero omnibus medicamentorum vi sublatis, haud raro dysenteriae succedit alvi fluxus largus et diuturnus, sed qui ab omni fere dolore vacat. Nempe dum ex intestinis et mesenterio exhauritur acris illa et mucosa dysenteriae materies, qua tormina et tenesmus excitata fuerant, aucti sunt vasorum canales et deminuta vis elastica; ita ut, postquam omnis iste mucus consumptus sit, pergant tamen vasa humorem serosum largius emittere, qui ipse quidem innocuus est, sed copia sua purgationes nimias inducere, et aegri vires dissipare potest.

^a *Hist. Dysent. pag. 17.*

HAVD ita frequenter, attamen plus vice simplici, vidi in foeminis dysenteriam paulisper secedere cum supervenissent menstrua. Nempe ubi dejectiones sanguineae urgebant, cum tenesmo molestissimo et summo intestinorum dolore, haec omnia, erumpentibus catameniis, subito confopita sunt; et quamprimum definita esset illa purgatio, omnia itidem recrudescebant.

DIUTURNA porro dysenteria, in hominibus laxo et pituitoso corporis habitu praeditis, haud raro in hydropem definit; qui fere pessimi generis est et remediis efficacissimis minime obsequens. Hoc autem praecipue accidit ubi medicamentis opiatis dysenteria praemature repressa fuerat et dein recidiva facta. Sic enim viscera omnia, quibus chylus nutriendo corpori suppeditatur,

debiliora fiunt, et officio suo segnius funguntur. Vnde inertior evadit et quasi vapida humorum temperies; rubra sanguinis parte liquecente, et aquea lutulentiore facta. Praeterea, mucum istum dysentericum, tamdiu in intestinis delitescentem, lacteorum, sive lymphaticorum mesentericorum, oscula partim saltem imbibunt. Inde spissior tandem fit lymphæ per universum corporis habitum: quæ adeo cum in cavitates varias et in cellulas membranae adiposæ exhaletur, lentior est et glutinosior quam ut iterum lymphaticorum extremitatibus rite excipiantur, aut per glandulas eorundem minutissimas percoletur. Dum autem vel hic vel ibi stagnat, hydropicus fit homo.

SED quod præcipuum duco eorum quæ, ad historiam hujus morbi ampliandam, afferre possum, ejus est

est arctissima cum rheumatismo affinitas: Graecis enim istarum rerum vocabulis libenter utor, ne, Latinitatem nimis affectando, perpetuis circumlocutionibus uti cogar. Rheumatismum autem appello, significatione usitata magis quam Graeca propriaque, dolores illos quibus articuli et partes corporis musculosae vel membranaceae afficiuntur, five febris aliqua fit, five nulla. Per saepe enim accidit ut simul ac homines a dysenteria liberentur, dolor humerum aut latus alterutrum occupet; interdum vero thoracem, aut brachia, aut crura, aut cranii integumenta. Hunc autem nullus rigor praecedit, neque comitantur febrium indicia: sed plane ad normam rheumatismi chronici constitutus est morbus. Cujus mutationis exempla plura habeo, quam ut singula enarrare huic loco conveniat. Interdum quidem hominem et dysen-

teria et rheumatismo laborantem curavi. Imo nonnunquam intestinorum tormina cum universi corporis gravi dolore conjuncta novi; praesertim earum partium quae carnosiores sunt; dum femorum, exempli gratia, atque crurum carnes contractio tam violenta teneret, ut tota cutis livore inficeretur. Hoc vero praecipue accidit in autumno anni MDCCCLXII, quo maxime vulgaris fuit uterque morbus: sed procedente anno et in hyemem vergente, conjunctio ista morborum rarior fiebat; neque rheumatismus musculos aegri aut membra prius corripere solebat, quam composita essent intestinorum mala: qui usitatio est rerum decursus. Nonnunquam, cum jam dysenteriae diarrhoea successerit, rheumaticus iste dolor hominis latus, aut humeros, aut membra excruciat: unde liquet fluxionem alvi esse quidem naturae

naturae instrumentum quo amandetur a corpore acris ista et morbida materies; hanc tamen ad aliam partem migrare posse, dum nihilominus pergat fluxio, quae jam quidem nullos intestinorum dolores excitat, sed est interea ad morbi fomitem extinguendum plane inutilis.

IN illa autem morbi translatione, fieri potest ut ille, partem aliquam nobiliorem occupando, tristiores ibi edat effectus quam nuper in ipsis intestinis ediderat. Cujus sane infelix exemplum vidi aliquando in foemina mediae aetatis, habitus vero tenuis et irritabilis. Eam quidem a vehementi admodum dysenteria nuper liberaveram, torminibus praeter solitum acutis et vomitu frequentiori exasperata. At brevi post, dolorem sentiit molestissimum in ima parte lateris sinistri prope re-

24 *De dysenteriae historia.*

nem. Nimirum morbus e tormi-
nali factus est arthriticus, et ab in-
testinis migraverat in septum trans-
versum, qua ad costas infimas mus-
culus iste annectitur: atque ideo
jam pro specie paraphrenitidis jure
haberi posset. Ibi ob perpetuum
respirandi motum exacerbatus est
dolor, et longe majus periculum
conflatum. Neque tamen magnae
febris indicia adfuerunt. Hoc re-
rum statu, sanguis quidem e vena
brachii bis missus est, quantum vi-
res corporis neque natura firmi, et
praegresso morbo valde debilitati,
permittere visae sunt. Tum *nitrum*
liberalissime datum, adjunctis oleo
amygdalarum dulcium et sale cor-
nu cervi; illo fatis larga, hoc vero
modica quantitate. Emplastrum
quoque vesicatorium parti affectae
applicatum: quod per tres vel qua-
tuor dies magnam feri glutinosi co-
piam extraxit. Nihil tamen interea
miti-

mitigatus est dolor. Tum ad furas apposita sunt vesicatoria, et eodem tempore aquae calidae vapor ad locum dolore infessum admiffus: quae medicina et frequenter repetita est, et singulis vicibus per longum temporis spatium adhibita. Inde levamenti nonnihil percepit mulier; sed quod cito abiit. Atque adeo frustra fuere omnia. Malo enim indies aucto, mortua demum est die duodecimo ex quo dolor latus invaserat.

NEQUE hac sola istorum morborum conversione manifesta fit eorundem necessitudo: haud raro contraria ratione evenit ut ex rheumatismo fiat dysenteria. Saepe novi in rheumatismo cum acuto tum diuturno, ubi alvum purgare expediit, ut plane dysentericae essent dejectiones quas vel *guaiacina*, vel *salia neutra*, vel *mercurius sublimatus dulcis* exci-

excitabat. Torminibus enim et dolore asperrimo comitatae sunt: mucoco fere totae constabant, ita acri ut juxta finem purgationis tenesmus inde oriretur, cum cruciatu fere intolerando recti intestini et sphincteris ejus: ita ut per plures postea dies manserit ibi teneritatis sensus permolestus. Quinimo curavi aliquando puellam viginti quinque annos natam, quae per totum corpus rheumatismo ita vexabatur ut immobilis fere vitam degeret; quod vix ullum ullius membri motum prae dolore tolerare posset. Postquam venaesectione, et vesicatoriis, et *guaiaco*, et *nitro sale cornu cervi* admisto, ita fracta esset morbi vis ut foemina jam vitae munia libere obire posset, intra diem unum dysenteria perfecta correpta est, cum dejectionibus valde mucosis, tenesmo vehementi, torminibus perpetuis. Haec tandem medicamentis cessarunt;

runt; verum illico rheumatismus in artus reversus est, non eadem quidem vi qua prius, sed fatis molestus tamen et fatis pertinax. Eandem quoque morborum alternationem in vetula quadam notavi, sed funestiori exitu. Illam enim, cum post rheumatismum dysenteria laboraverat et haec quoque profligata erat, adeo atrox incessit secunda vice rheumatismus, ut effoetum et viribus suis exhaustum corpus impar esset illius saevitiae sustinendae. Denique in eodem homine tres huiusmodi vicissitudines observavi; ita ut ter rheumatismum et ter dysenteriam experiretur, priusquam ad perfectam sanitatem restitutus esset.

Hoc quod intestinis intercedit cum artuum musculis et membranis commercium, apparet quoque in
colica

colica ^a Pictonum atque ^b Damnoniensium, in ea qua insulae Caribbeenses Americanae infestantur, et in morbo illo truculento quem ferius ocyus omnes illi experiuntur homines quorum opera quotidiana in plumbi aut in argenti vivi tractatione versatur; pictores, exempli gratia, (operarii autem hi sunt, non artifices) plumbarii, atque inauratores. In istis quidem affectibus, non ex intestinis in membra corporis, aut e membris vicissim in intestina, fit materiae morbidae migratio: sed eodem tempore haec et illa aegrotant. In omnibus quoque arefcit alvus. Tum dolores articulorum graviores sunt et quasi profundiores; quando vis morbida tendines et ligamenta magis occupet. Est et

^a Vide Francisc. Citesium, de novo et populari apud Pictones dolore

colico, cap. vi.

^b Vide Huxham, de dolore colico Damnon.

illa praeterea in resolutiones nervorum et in morbum comitiales proclivior: denique, ut verbo dicam, deformior aegritudo et, ubi inveteraverit, longe pertinacior.

ILLORVM, quos e dysenteria mortuos esse novi, plerique torminum remissionem paulo ante obitum senserunt. In nonnullis aphthae sub finem morbi eruperunt: in nonnullis alvi fluxus cessavit. Quibus fere omnibus, stupor et somnolentia brevi post incubuit, aut aborti sunt sudores gelidi; atque ita intra paucas horas moriebantur: sive vis vitalis ab eluvie illa intestinorum exhausta esset; sive, quod probabilius videtur, et quod revera evenisse certis exemplis constat, ipsa intestina contabuissent, gangraena exitiali tacta. Sed felicior plerumque fuit morbi eventus: cum dysentericorum

30 *De dysenteriae historia.*

entericorum quibus meam curam
adhibui, vix vigesimum quemque
amiserim. Itaque ad illam me-
dendi rationem qua fere semper
utor, jam progredi licet.





CAPVT SECVNDVM.

De dysentericorum curatione.

IN aegris hisce administrandis id primum a medico considerari oportet, an conveniat sanguinis missio. Si vero calor adfit, aut rigor, aut pulsus justo velocior, ibi nullus subesse potest dubitandi locus quin protinus instituat venae sectio. Ista autem quamvis omnino absint febris indicia, si tamen aeger habitu corporis pleniori sit et sanguine abundantiori, adhuc secare venam expediet. Ita enim periculum imminens febris avertitur, et praecaveatur aliqua ex parte rheumatismus ille qui adeo dysenteriae succedere solet. Imo utcunque haec sint, at ubi dejectiones sanguine inficiuntur, venae sectio utile dabit ejus fluxioni

32 *De dysentericorum curatione.*

fluxioni diverticulum. Quin et alia est ejusdem medicinae commendatio; nempe quando musculorum et membranarum fibrae, ut et arteriarum tunicae, strictiores sunt, et ex levi quavis irritatione in contractionem proniores. Tali enim homini dysenteria proculdubio convulsiones intestinorum et tormina comparabit praeter solitum aspera et periculosa. In hoc igitur casu venae sectio summam habet utilitatis rationem: cum sit omnium forte remediorum, quae antispasmodica dicuntur, praesentissimum. Denique dolor ipse torminosus, si quando vehementior et pertinacior fiat, e sanguinis missione prudenti lenimen capiet minime contemnendum. Quapropter cum tot se offerunt causae quae medico quasi praecipiant ut in hoc morbo sanguinem detrahat, concludere licet curationem a venae sectione initium sumere debere, nisi adsint mani-

manifesta signa quae eam prohibere valeant. Sunt illa fere habitus laxior et hydropi aptus, cujus haud raro post dysenteriam periculum impendet; debilitas nimia ex inveterato morbo; horror aut sudor gelidus; pulsus intermittens; dejectiones praeter solitum putridae; et quicquid intestinis corruptionem vel gangraenam ominari videtur. Ubicunque horum aliquid intercedit, ab omni sanguinis detractioe religiose abstinendum est: alioquin potissimum erit curationem ab illa ordiri. Quantum sanguinis detrahendum sit, aetate atque viribus aegrotantis definire oportet. Raro quidem plus unciis decem ex hominibus adultis educi, aut venam iterum secari, necesse habeo.

Missio sanguine, proximum est ut ventriculi statum respiciamus. Si autem vel frequentem sentiat ille

D impetum

34 *De dysentericorum curatione.*

impetum vomendi, vel post sumptos cibos nauseam aut impeditam digestionem; si lingua discolor sit aut mucos obducta; si in ore acidus sit ullus aut biliosus sapor, vel juxta pylorum flatus molestior; tum *ipeccacoanham* dare soleo, ut omni inutili onere ventriculus levetur. Hanc autem medicinam tametsi multis dysentericis non aequae necessariam judico ac venae sectionem, nunquam tamen ex ea vel minimum incommodum aegro accidisse memini: cum contra, ea omissa, vidi ubi caetera curatio lentius et difficiliter procedere videretur. Quapropter, etsi non ita manifesta sint ventriculi male affecti indicia, erit tamen prudentius *ipeccacoanbae* scrupulum unum post sanguinis missionem praecipere; nisi forte ita jam debilitatus sit homo, ut vomendi defatigationem satis sustinere nequeat.

HORA una alterave post peractam vomitorii operationem, ad id medicamentum administrandum progredior, cui potissimum in dysenteriae curatione confidere longa jam me docuit experientia. Id autem *ipeca-coanhae* granum est unum, quod *aquae menthae vulgaris simplicis* sescunciae et *spirituosae* drachmis duabus immistum, vel *aquae alexe'erieae simplicis* unciis duabus cum *confectionis cardiacaе* drachma dimidia, sumi praecipio sexta quaque hora. Hac autem ratione ut *ipe-cacoanha* in dysenteriis uterer, circa annum MDCCLVIII inductus sum. Jam antea observaveram medicos quosdam in artis usu jamdiu exercitatissimos grana quinque bis dare solitos intra viginti quatuor horas, aut semel vesperi per tres vel quatuor dies. Cum ex ista medicina tormina fere semper leniri animad-

D 2 verterem,

36 *De dysentericorum curatione.*

vertelem, sed brevi post reverti solere, statui experimentum capere num saepius repetita in minori quantitate levamentum afferret morbo magis durabile. Primum itaque grana quatuor praescripsi ut ter quotidie sumerentur, aliquando etiam ut sexta quaque hora. Medicamentum ita efficacissimum fore sensi ad omnia morbi mala debellanda, si modo aegrotis persuadere possem ut in eo capiendo perseverarent. Verum id omnino desperandum erat, ob nauseam et vomitionem tam saepe iteratas. Intellexi igitur medicamentum, si brevibus adeo intervallis id repeti vellem, minori quantitate singulis vicibus dandum esse. Cum autem observassem morbum fere semper esse diuturnum, et ideo curationem diuturnam sponte admittere, operae pretium duxi *ipecaacantham* tam parva quantitate praescribere, ut nauseam
aut

De dysentericorum curatione. 37

aut nullam excitaret aut facile tolerabilem : si forte isto modo aegri in ejus usu permanere diutius possent, et simul virtutem ejus in dysenteria pellenda experirentur, si non praesentem et perfectam, at certam tamen et usu indies confirmatam. Ad hoc quoque me nonnihil commovit Gulielmi Pisonis auctoritas^a; qui a Brasiliensibus in diarrhoea maligna sive dysenteria curanda, drachmas *ipecacuanhae* duas ter decoqui docet; neque minoris facit tertium decoctum quam secundum vel primum: imo plus etiam efficacitatem illius praedicat. At minime verisimile videbatur tertio illi decocto ullam vim restitisse qua vomitum ciceret; neque tamen idcirco inutile fuit, experientia teste, ad morbum abigendum. Quapropter virtutem ejus non ex eme-

^a *De Indiae utriusque re naturali atque medica, lib. ii. cap. 9.*

38 *De dysentericorum curatione.*

tica potestate pendere concludebam.

HIS itaque rationibus inductus, in dysenteria valde frequenti, quae anno MDCCLIX, incipiente autumno, grassata est, *ipecaeoanbae* grana duo sexta quaque hora modo supra memorato dedi. Et cum isto tempore, ut et deinceps, Divi Thomae nosocomium magnam dysentericorum frequentiam praeberet, experimenta fere quotidiana capere potui; quae summam methodi hujus utilitatem satis superque demonstrabant. Non multo post, unum tantum *ipecaeoanbae* granum singulis haustibus immiscere coepi: cum ex duobus granis nauseam haud raro nimis diuturnam creari observassem: quod incommodum ex uno grano vix oriri, aut post breve tempus cessare, constabat. Exinde hac plerunque quantitate uti soleo:

ni forte tormina adeo atrociam sint, et sanguinis dejectio tam larga et crebra, ut magis eniti medicum oporteat ut homo cito curetur, quam ut jucunde. Vbi sic se res habet, minus moror ventriculi nauseam; donec istam morbi ferociam, praescriptis duobus granis, aliqua ex parte compressisse videor; et tum demum unius grani praescriptione contentus sum. Isto modo dum jam per quatuor annos *ipeca-*
coanham quotidie fere dysentericis adhibere pergo, in omni morbi varietate usum illius innocuum et salutarem expertus sum. Neque interest utrum acuta sit dysenteria, an chronica: utrum sanguinem habeant dejectiones, an muco tantum consistant. In omni porro aetate hominum, sexu, conditione; et per omnes anni tempestates salutarem suam vim aequae edit medicamentum. Nolo equidem affirmare

40 *De dysentericorum curatione.*

nunquam id meam spem fefellisse : rarius tamen hoc ab illo expertus sum, quam ab ullo alio medicamento, si unius *corticis Peruviani* adversus febres intermittentes virtus excipiatur.

CELEBRES nonnulli^a observarunt auctores *ipecaeoanham* dysentericis datam plerumque sudores excitare; atque his efficacitatem ejus attribuerunt. Nonnunquam quidem post sumptam *ipecaeoanham* sudores erumpunt; rarius tamen, nisi ubi nausea afficitur ventriculus; quae a grano uno vix creari solet. Quamquam si de morbi natura conjecturam recte fecimus, fortasse nulla alia efficacior et celerior dysentericis praeberi posset medicina, quam ut sudores elicerentur copiosissimi: quod maxime efficeret *ipecaeoanba*

^a Vide Jo. Freind, de febr. commentarium quartum.

De dysentericorum curatione. 41

opio conjuncta. Hanc tamen curationem institui prohibet tenesmus et perpetua dejiciendi necessitas, quae adeo dysenteriae familiares sunt; et quae hominem sudoribus diffluentem saepe fere in vitae discrimen adducerent. Invenienda est igitur ratio qua, sine sudoribus, *ipe-*
cacoanha partes suas agat et dysenteriam tollat.

HAC igitur methodo administra-
ta neque ventriculo nauseam concitare solet, neque sudores ullos movere. Plerumque tamen intra viginti quatuor horas virtus ejus, mutata intestinorum conditione, spectatur. Symptoma quod primum ei cedit, sanguinis est in dejectionibus admistio. Deinde tormina et mitiora et minus crebra fiunt: neque jam tenesmus adeo molestus. Post duos fere dies, imo plerumque citius, aeger tolerabile fatis, quod morbi

42 *De dysentericorum curatione.*

morbi reliquum est, agnoscit: domestica enim munia pro libitu fere obire potest. Dolores quidem torminum sentit adhuc, et per quinque, septem, imo decem forte dies sentire perget; verum facili negotio sustinendos et indies mitescentes. Dejectiones quidem non eadem ratione minuuntur: imo nonnunquam per dies aliquot majores fieri videntur. Asperitatis tamen et acrimoniae minus habent; et post breve tempus et pauciores incipiunt esse et minores.

CUM autem curationis initio mera atque vera tormina aegro sustinenda essent, post diem unum alterumve huic regimini datum, videtur illud fere evanuisse doloris genus; neque intestina male affici nisi in ipsis dejectionibus et ex acrimonia materiae praetereuntis; qua vulnerari tenera nimis intestina videntur,

videntur, potius quam in tormina
sive convulsiones constringi atque
implicari. Et haec quidem per dies
aliquot percipi potest molestia :
quamdiu autem illa perstat, medi-
camentum quotidie ter vel quater
repetendum esse moneo : adeo pla-
cide ventriculo infidet ; et sine ulla
hominis defatigatione per tot vices
iterari potest. Quod ex sequenti-
bus historiis melius patebit.

INNUPTA quaedam foemina, qua-
draginta fere annos nata, ob rixas
quas cum familia sua et cum af-
finibus agitaverat, adeo animo ef-
ferata est ut vitam suam abrumpe-
re constituerit. Voravit itaque *mer-
curii sublimati corrosivi* integram
drachmam. Illico correpta est ne-
cessariis symptomatibus, calore nem-
pe et cruciatu summo ventriculi et
intestinatorum. Pharmacopoeus, qui
brevis post adfuit, aquam tepidam
atque

44 *De dysentericorum curatione.*

atque *oleum lini* copiosissime in gulam ejus ingessit, ut veneni partem vomitu educeret e ventriculo, aut saltem dilueret atque obtunderet. Post horas aliquot ad aegram ego sum accersitus. Haustum praescripsi sexta quaque hora sumendum, qui *olei amygdalarum dulcium* et *aquae alexeteriae simplicis* singulorum unciam unam, cum *mannae* drachmis tribus habebat: cui post tres horas perpetuo interponendum erat enema ex *olei amygdalarum dulcium* tepesfacti unciis quinque. Tum, idoneis intervallis, praecepi in jusculum ovinum ut copiose instillaretur *lixivium tartari*, atque ita frequenter epotaretur: fore enim speravi ut sal illud alcalinum, cum *mercurio corrosivo* in intestinis commissum, salia ejus acida ad se arripereret, et mercurium crudum fere et innocuum redderet. Quod ex sententia successit. Postquam enim
per

De dysentericorum curatione. 45

per duodecim dies in hoc regimine perstitisset, ab omni periculo et dolore liberata est. Sed die uno alterove exinde elapso, dysenteria vehementi correpta est, quam vomitus, et dejectiones mucosae, et tormina acutissima comitabantur. Quapropter sanguinis uncias octo detrahi iussi; *ipecacuanhae* grana duo, in julepo ex *aqua menthae vulgaris simplici*, dedi sexta quaque hora; et, aptis intervallis, alium quoque haustum, qui *olei amygdalarum* unciam unam et *syrupi de meconio* drachmam unam continebat. His usa remediis, intra triginta sex horas e dysenteria convaluit: sed paulo post de haemorrhoidibus caecis conquesta est; quarum tumor molestissimus erat, et summum cruciatum afferebat. Hae vero facile cesserunt *linimento albo* cui pars duodecima *extracti Thebaïci* admista est. Atque ita demum ex atrocissimae

46 *De dysentericorum curatione.*

ciffimae mortis periculo evasit et ad perfectam sanitatem restituta est foemina.

ALTERA est historia mulieris cujusdam quae habitu corporis delicatiori erat, et aetatis annum fere trigefimum quintum agebat. Ad illam vero vocatus sum uno mense post partum difficilem nondum peracto; cum eodem tempore dysenteria laboraret, et fluore albo, et fedis procidentia. Fuit interea viribus valde attritis, cum ob partum nuperum, tum ob istam congeriem malorum qua conflictabatur. Ex his vero quandoquidem dysenteria maxime urgebat, imprimis ventriculum leviori vomitorio exoneravi: dein *ipecaeoanbae* granum unum in julepo usitato sexta quaque hora adhibui; interposito pro re nata haustulo ex oleo *amygdalarum dulcium* cum *syrupi de meconio* drach-

De dysentericorum curatione. 47

ma una, ad tormina lenienda. Cum ex his medicamentis intra diem unum alterumve tolerabilior multo factus esset morbus, ad fluorem album compescendum *olibani* drachmam semis bis quotidie praebui; nequaquam intermisso *ipecaoanbae* usu. Denique pro intestini recti debilitate fotum praecipi ex *decocto gallarum*. Quotidie autem mala mitiora fiebant, et viribus aliquid accedebat: sed priusquam dysenteria penitus abiret, *ipecaoanbam* sumpfit per totos dies viginti sex. Dysenteriam subsequabatur diarrhoea, quae tandem sublata est usu *electarii e scordio*. In caeterorum medicamentorum usu persistebat adhuc per duas hebdomadas; et tum demum perfecta sanitate et integris viribus fruebatur.

Ex duobus hisce exemplis, five in illo consideretur conditio intestinorum,

48 *De dysentericorum curatione.*

norum, ex sumpto veneno, cum demum foeminam adoriretur dysenteria; five, in hoc, diuturnitas morbi in corpusculo tot simul malis debitato; satis patet, ni fallor, quam tuta sit quamque efficax ista curatio. Quibus et illud addi debet; scilicet in lue venerea, et inter unctiorem *mercurialem* mediam, haud infrequenter homines dysenteria corripiti, cum mucosa, tum sanguinea. Cujus simul ac apparent signa, hanc medendi rationem, intermisso paulisper *unguenti coerulei fortioris* usu, statim adhibere solitus sum. Neque unquam observavi vel recentiore hunc morbum medicationi illi diu repugnare, vel primariae curationi incommodum ullum aut difficultatem ideo oboriri.

INTEREA, dum isto modo *ipeca-*
coanha in usu est aegro, per inter-
valla haustulum oleosum, cui drach-
ma

De dysentericorum curatione. 49

ma una adjuncta fit *syrupi papaveris albi*, bis vel ter quotidie sumendum nonnunquam praecipio. Inde enim dejectionum acrimoniam retundi et tormina mitigari comperitum est. Hoc tamen vix opus erit nisi per diem unum alterumve in principio curationis, et ubi morbus vehementior fit.

DVM haec ita componuntur, in victu aegrorum ordinando non nimis severe res gerenda est. Cum enim febris plerumque omnis absit, et cum hominum vires, ob perpetuas exinanitiones, haud minima refectione indigeant; praeter juscula, et gelatinas, et quae ex ovis et lacte praeparantur, nonnunquam carnes pullorum gallinaceorum, aut vitulinas, aut etiam ovinas, concedere fas erit. Verum ab omni alimento quod irritare potest, aut flatum intus generare, aut calorem

E nimium

50 *De dysentericorum curatione.*

nimum accendere, summa cautione abstinere oportet.

SUPRA monui fugatae jam dysenteriae diarrhoeam succedere solere. Et ut hanc rite praevideat, eique curam suam apte accommodet, haud minima opus erit medico vel sagacitate vel diligentia. Opiatis enim medicamentis, et iis quae vim astringendi habent, dejectiones alvi praeproperè sistere, morbi fomite nondum extincto, plenum temeritatis est et periculi consilium. Unde summa auctoritate medici curationem dysenteriae medicamentis catharticis plerumque instituunt. Atque hanc quidem commendationem singularem habere visa est illa medendi ratio quam supra exposuimus, quod ea scilicet eodem tempore doloris atque torminum allevationi consulit, et materiae, qua continetur morbus, expulsionem.

Ipe-

Ipecacoanha enim, isto modo data, proculdubio apta est ad laxandam potius quam ad occludendam alvum : quae porro simul facilius fiet et solutior ex usu haustus illius anodynus et oleosus. Ita ut periculo forte haud vacabit res, ne, missa dysenteria cum suis torminibus et tenesmo et dejectionibus asperis, persistet tamen diarrhoea, atque tandem aegrum exhauriat, opprimatque. Quocirca, ubi ullam hujusmodi suspicionem infert vel morbi vel hominis indoles, mihi solitum est, pro haustu oleoso illo, alium substituere qui *electarii e scordio* scrupulos duos in *aqua cinnamomi simplici* solutos continet. Postea vero, cum dolor et caetera dysenteriae symptomata abierint, si adhuc molesta sit diarrhoea, ad eam tota convertenda est et aptanda curatio. Cui materiam idoneam suppeditabit *decoctum album* dupla vel tripla

52 *De dysentericorum curatione.*

titate gummi Arabici paratum; vel rhabarbarum torrefactum cinnamomo adjunctum; vel decoctum corticis Simaroubae; vel extractum five decoctum ligni tinctilis Campechensis; vel electarium e scordio; vel lac vaccinum quod cinnamomum et quercus et granati cortices incoctos habeat; vel denique, quo mea experientia nihil efficacius adhuc novit, lac vaccinum, ejus in libra una, dum calore ebullit, sevi ovilli uncia una liquefacta fit.

VBI provectiori aetate aegri sunt, aut morbi diuturnitate fracti; praefertim vero si pulsus langueat, et lingua mucro foetido obducatur, et caloribus subitaneis facies et volae manuum incandescere soleant, aut sudores saepius et largius erumpere; hisce in casibus egregium conferet auxilium cortex Peruvianus; si modo id praecaveri potest, ne alvum iterum

De dysentericorum curatione. 53

iterum dejectionibus solvat. Hoc vero optime curatum erit, *corticis* ipsius drachmam dimidiam cum *rhabbarbari torrefacti* granis quinque in boli formam componendo, aut *decocti corticis* unciis tribus *tincturae cinnamomi* drachmas tres immiscendo. Horum medicamentorum alterutrum ter vel quater quotidie optimo effectu adhiberi potest.

DYSENTERIA demum his remediis debellata, saepe, quod supra observavi, rheumatismo corripuntur homines: doloribus nempe arthriticis vel inter scapulas excitatis, vel in latere alterutro, vel in collo, vel in cranii tegumentis, vel in brachiis, vel denique in cruribus. Cautione vero opus est dum novum hunc hostem aggredimur. Medicamenta enim quae plurimum contra rheumatismum valent, cum acre quiddam et ad obstructions referandas

54 *De dysentericorum curatione.*

idoneum habeant, periculum idcirco inferent ne intestina denuo irriterentur, atque adeo ne dysenteria reducatur. Quapropter neque *guaia-cum* in hoc negotio, neque *mercurius sublimatus dulcis*, neque *nitrum*, neque *salia volatilia* temere adhibenda sunt: sed res agenda potius iis remediis quae vim possident antispasmodicam dictam, et quae simul perspirationem cutaneam augere possunt. Talia sunt *castoreum*, *moschum*, et *radix valerianae sylvestris*.

QVINETIAM, cum hi dolores omni febre semper fere carent, optimum esset sudores copiosissimos movere: quos, ubi aeger istam medicationem admittere non nimis gravetur, nihil aeque praestabit ac pulvis qui *ipeca-coanha* et *extracto Thebaico*, singulorum granis duobus, cum *nitro* et *tartaro vitriolato* singulorum granis octo, constat. Hic semel sumptus, aegro

gro

gro interea in lecto concluso et stragulis bene cooperto, plerumque sudores satis largos eliciet: sin minus, post sex vel septem horas repetendus est. Aegro interim affatim bibendum est de aqua hordeata, vel potius de *ligni guaiaci* et *radicis glycyrrhizae* decocto. Atque ita per horas decem vel duodecim uberrimi manabunt sudores; quibus neque valde attritae erunt aegri vires, et tamen e corpore magna ex parte evehetur ferus iste glutinosus et acris quo continetur morbus.

VBI vero hanc curationem ob taedium illius et molestiam recusant homines, aut propter vires suas jam deminutas non debent admittere, ad emplastra vesicatoria confugiendum est. Haec autem ad partem dolore affectam applicare oportet; et quoties ad aliam partem migraverit dolor, illa eidem affigenda sunt.

56 *De dysentericorum curatione.*

sunt. Aeger interea cibis benignioribus nutriendus est. Danda quoque sunt medicamenta qualia supra memoravi; quae vires vitae sustinere possunt, neque tamen calorem nimium suscitare aut intestina irritare.

Huius curationis exemplum subjungere libet, in homine scilicet annorum fere quadraginta; qui postquam per sesquimensem dysenteria laboraverat, consilium a me petiit. Vomitus aderat valde frequens; dejectiones mucosae creberrimae; torminum cruciatus intolerabilis. Inde adeo exhaustae sunt vires, ut pedibus stare plane nequiret; imo vix sedendo cervicem posset erectam servare. Dato primum *ipeca-*
coanbae scrupulo uno ventriculum exoneravi: et dein sexta quaque hora ejusdem radicis granum unum in haustu usitato sumendum praeci-

cepi.

cepi. Brevi dysenteria liberatus est homo: sed continuo fere doloribus gravissimis correptus est, qui tertio quoque vel quarto die sedem suam mutare solebant. Vesicatoria applicavi partibus quas dolor occupaverat: atque simul haustum cardiacum, qui *radicis valerianae sylvestris* drachmam dimidiam continebat, ter quotidie fumendum jussi. Hujus vero loco, cum post sex vel septem dies de dysenteria recidiva minus jam metuendum videretur, *decocti corticis Peruviani* uncias tres cum *tincturae guaiacinae volatilis* guttis triginta dedi. Denique post mensem unum his remediis tributum, ad perfectam sanitatem restitutus est homo; cum, isto temporis spatio, octo applicata essent vesicatoria; nempe inter scapulas, ad brachia, ad furas, post aures, et ad occiput; prout ab alia parte in aliam se transfulerat dolor.



CAPVT TERTIVM.

De causis dysenteriae.

MIRVM proculdubio nonnullis videbitur et fortasse absurdum, si postquam exposuerim quicquid in promptu esset quod ad dysenteriae historiam atque curationem pertineret, nunc demum de causis ejusdem dicere aggredior, et de viribus quibus pollent ea medicamenta quae ab illius injuriis intestina expediunt. Scilicet diversa plane ratione agunt plerumque scriptores medici. Cum enim disciplinam suam ad justae scientiae speciem effingi velint, protinus experimentis quibuscunque et observationibus contenti, quae casu forte aut sponte sub oculis feruntur, conclusionem inde eliciunt quam maxime universalem,

versalem, et ea tanquam morbi theoria utuntur, rerum testimoniis probata et stabilita. Haec itaque philosophandi ratio, quam analyticam appellare scholae philosophorum solent, apud medicos plerumque nimis festinata est et exiguo nimis fundamento extracta. Dein vero iidem, synthetica ratione magis gaudentes, conclusionem, quam analysi ista utcunque eruerunt, tanquam principium jam demum concessum, assumunt; secundum eam omnia morbi symptomata recensent, curationis scopum dirigunt, seligunt medicamenta, et eorum denique vim et effectum explanant. Hac porro via insistentes solos se, inter medicos, philosophorum nomine dignos arbitrantur; solam suam medicinam pro vera, solida, rationali praedicant. Vnde sane mihi, contrariam adeo semitam calcanti, haud obscure verendum videtur,

detur, ne alienus a philosophia, denique ne empiricus audiam. Sed omnem istiusmodi sollicitudinem brevis rei animadversio tollit. Medicina enim nequaquam inter eas facultates numeranda est, quae analysi parca et angusta contentae esse debeant; synthesin vero copiosam et exquisitam postulent. Hanc forte atque illam admittere possunt nonnullae quidem disciplinae, quae circa res versantur quarum structura simplex est et ordo certus: quales sunt mechanica, chemia, astronomia. His enim quae subiecta est materia, sensibus nostris plurimum patet; haud multis elementis constat; neque ulli est varietati aut dissimilitudini obnoxia, sed semper et ubique eadem. Vnde modica sufficit diligentia ad illius causas et principia indaganda: quorum, cum semel explorata sunt, manifesta est applicatio, fructus uberrimus. Lon-

ge aliter se medicina habet. Morborum enim origines plerumque tenebris involutae sunt, causae maxime complicatae, species five formae perpetuo mutabiles, decursus denique atque exitus ii de quibus conjecturam quidem facere possumus, raro nosmetipsos securos reddere. Quae cum ita sint, nihil imprudentius vel inconsultius excogitari potest, quam in tam ardua, tamque dubia re, auxilium ullum sponte praetermittere; et de morborum naturis pronunciare, priusquam ipsa curatio perspiciatur, et eorum quae vel juvant vel laedunt, rationes expendantur.

QVOD autem ad medicamentorum delectum attinet, vereor ut unquam id negotium philosophiae auspiciis gestum sit; scilicet ut ex morbi natura prius intellecta, et ex laesae cujusdam functionis contempla-
tione,

tione, certum aliquod remedium vestigatum sit quod, vi propria et peculiari, ad istam functionem emendandam, atque adeo ad sanitatem restituendam, valeret. Namque in ipso hoc morbo, *ipecaeoanbae* usus satis demonstrare potest quam longe aliter res evenire solet. Cum enim ille apud incultos barbarosque Brasiliae incolas, more a majoribus tradito, increbuisse; apud eos occasionem nactus est medicinam istam Americanam observandi medicus Batavus, Gulielmus Piso; unde demum eam in has Europae oras intulit. Cujus simile quiddam, ni fallor, de caeteris quoque remediis praestantioribus dici potest; et debet quidem: non autem medicorum vel pudore malo, vel falsa ambitione, tegi atque dissimulari. Neque enim iis, neque arti eorum, vitio vertendum est, medicinam non ea initia habuisse, quae forte geometria

tria habuit, aut dialectica, aut philosophia moralis: id est, non ex ipsa ratione natam et procreatam fuisse. Satis erit iis si, ratione adju-
trice, medicamenta quae natura vel casus primum monstraverat, et quorum vulgaris tantum erat et temeraria commendatio, sedulo excusserint; et ad corporis humani functiones, ad aetatum vires, ad morborum denique tempora accommodaverint. Tum demum fas erit de naturis morborum quaerere et de remedium viribus. Quaestiones enim istae et jucunditatis habent plurimum, cum effectuum, quos edi videmus, causas et rationes retegere possint; et utilitatis etiam, cum medendi usum ab experientorum fluctuatione ad quandam quasi scientiae stabilitatem possint revocare. Praeterea, haud raro ex iis fiunt conclusiones quae ad aliorum morborum indolem intelligendam
dam

64 *De causis dysenteriae.*

dam et remedia invenienda medicum instruunt. Quare jam tandem de dysenteriae natura et de *ipecacoanbae* operatione nobis agendum est.

Dvo vero sunt quae in hoc morbo maxime animadvertere oportet; tormina nempe et, quem dejectiones manifestant, mucus glutinosior acriorque. Quorum utrum prius in aegri corpore locum habeat, atque adeo alterius causa fit, imprimis videndum. Haec autem quaestio, de mali origine solidarum partium, an humorum potius, vitio imputanda, cum ad omnes fere morbos olim pertinuisset, est in dysenteria explicanda inter recentiores etiam medicos aliquando agitata. Nempe haud defuere qui pro causa morbi primaria convulsiones intestinorum habuerunt; et mucum, quo constant dejectiones, vi torminum

ex intestinorum tunicis abrasum reputarunt; cum prius nihil nocivum aut praeter naturae morem ille contineret: quanquam, continuatis spasms istis, tandem degeneraret et morbidus evaderet.

VERVM huic sententiae repugnant omnino ea quae de dysenteriae historia certissima fide accepimus. Acrimonia enim illius mucii proculdubio irritat intestina et tormina inducit. Id quidem factis apparet vel ex tempestate anni, qua frequentior fieri dysenteria perpetuo solet. Post solstitiales enim aestatis calores, humidior et frigidior autumnus spiritus hunc morbum frequentius revocat. Isthæc autem aëris mutatio, cum in cutim et in vascula ejus imprimis agat, perspicuam adfert rationem cur humores corporis immutentur quoque et vitientur; diminutionem

nempe perspirationis cutaneae, et majorem factam feri atque lymphae, toto corpore, et copiam et spissitudinem: non item cur in spasmos illico concitentur intestina, nullo adhuc vitio humoribus oblato. Novimus praeterea, eadem tempestate et ob easdem causas, rheumatismum quoque frequentissimum fieri. Qui morbus certo certius humore quodam acri et spisso continetur: nullos autem spasmos intestinorum agnoscit. Hi vero dysentericis necessario oborientur, ubicunque humores ea conditione sunt, ut in cavitatem intestinorum effundantur insolita copia atque asperitate. Quapropter tormina, huic morbo adeo familiaria, non primarium in eo locum habent; sed ortum suum debent mucos acri et glutinoso in intestina effuso. Qui ideo pro materia ducendus est, de qua nascitur et in qua continetur morbus

INTESTINORVM igitur tunicae, mucositate hoc morbido vellicatae, in convulsiones five tormina frequentius stringuntur. Tormina vero arteriarum exhalantium oscula et glandularum ductus excretorios comprimunt, atque adeo humoris istius vitiosi effusionem largiorem perpetuo sollicitant: ita ut id quod primo effectus erat, jam causae vice atque munere fungatur. Materies enim mucosa, qua constant dejectiones dysentericae, longe diversa est a mucositate illo naturali et innocuo quo oblinuntur intestinorum latera cava: siquidem hic in ipsis morbi initiis abrasus omnino vi torminum videtur; in ejus vero locum succedere, et futuris dejectionibus materiem suppeditare, morbida quaedam scaturigo, a glandulis et arteriis intestinorum continenter profluente. Hanc vero dysenteriae originem primus,

quod sciam, medicorum veterum Alexander Trallianus^a perspicue et sincere descripsit: qui, eodem quoque loco, intestinorum exulcerationem morbi non causam, sed effectum potius esse, recte agnovit.

SANGVINIS vero in dejectionibus dysentericis admixtio, partim quidem acrimoniae humorum, sed praecipue vi torminum tribui debet. Raro enim ita larga est ut insigniori ullo vase, vulnerato aut rupto, provenire videatur: sed potius ramis arteriarum minutissimis super tunicas intestinorum reptantibus; imo tunicis ipsis, quae cum, asperitate humorum illabentium, nimis jam absterfae sint et teneriores factae, tum accedente convulsionum impetu facile laeduntur et cruentantur. Sanguis autem qui inde effusus est, quam primum tor-

^a *Lib. viii. cap. 8.*

mina illa consopiantur, evanescit: quod in morbi curatione satis patet. Sumpto enim bis terve *ipecaeoanbae* grano uno, dolor torminosus plerumque delinitur aliquatenus, et simul sanguinis excretio sistitur. Hoc autem minime attribui potest virtuti ulli qua radicis istius tam parva portio disruptas arterias aut venas vulneratas constringere et conglutinare possit; sed potius placatae a medicamento torminum violentiae: quo facto, sanguis haud amplius vasculis et membranis excutitur. Quod confirmat quoque observatio illa quam supra memoravi; scilicet dysenteriam sanguineam, qua feminae afflictabantur, erumpentibus catameniis, inducias dedisse. Isthaec enim sanguinis menstrua fluxio parcior est et lentior, quam ut pro diverticulo quovis aut revulsione haberi possit: sed, dum id negotii peragitur, universum corpus

femineum quiete quadam et relaxatione fruitur; qua cum pacata essent dysenteriae tormina, simul definebat sanguis e tunicis intestinorum exprimi.

QVOD autem attinet ad guttas illas sive lineas sanguinis, quae sub finem morbi dejectiones nonnunquam tingunt; illae quidem, ut jam observatum est, ab induratis proferuntur alvi recrementis; quae postquam diu in tenuioribus intestinis delituisse, tandem, redintegratis viscerum et musculorum viribus, expelluntur; et a recto et sphinctere ejus sanguinem ita eliciunt.

DE mucro autem quo, maximam partem, dysentericae dejectiones constant, haud valde difficilis aut dubia est disceptatio. Multa enim et varia indicia satis ostendunt hunc humorem

humorem ejusdem plane indolis esse, cujus et ille cui rheumatismus ortum suum debet. Scilicet vel ex proclivitate naturae, vel ex vitio ciborum, vel ex autumnalis coeli e caloribus in frigora conversione, ferrosi hominum humores glutinosiores fiunt et acriores. Postquam ergo ita vitiiati sunt, si artus cujusvis membranam cellularem impleant, fibras musculosas et nervos et tendines et articulorum ligamenta vellicant; dolorem excitant; artum istum minus aptum moveri efficiunt; rheumatismum denique vel chronicum, vel, accedentibus febricitandi causis, acutum inducunt. Si vero iidem ad abdominis viscera dirigantur, et, per vasa exhalantia et per ductus glandularum excretorios, in cavitatem intestinorum emittantur; tormina, crebras dejectiones, et caetera dysenteriae symptomata afferunt. Quae horum mor-

borum affinitas et communis natura liquido apparet ex omnibus fere quae de utraque novimus. Apparet imprimis ex eo quod jam dictum est de facillima dysenteriae conversione in rheumatismum; quae fere necessario fieri debet et solet, ubicunque dejectiones dysentericae prius cessaverint quam ex intestinis penitus eliminatus fuerit mucus ille morbidus quo constabant; aut ubi totius corporis habitus mucositate isto adeo copiose perfusus sit, ut, suppressa semel illa derivatione quae ex intestinis fiebat, alia quaedam corporis pars eodem humore supra modum abundet, et inde male se habeat. Sequitur praeterea eadem conclusio, et quidem longe fortior fit, ex allatis exemplis rheumatismi in dysenteriam mutati. Eandem porro confirmat multiplex observatio, qua constat utrumque morbum eadem anni tempestate, et ob eadem

dem coeli affectiones, maxime vulgarem fieri solere; utrumque porro in idem hominum genus atrocissime saevire; in nautas scilicet, diuturnis navigationibus perfunctos.

QUINIMO utrisque par medendi ratio et plane consimilis convenit. Dysentericis enim quamvis, naturae consilio, egeritur dejectionibus morbida materies; vidi tamen semel et saepius ubi in dysenteria recidiva solum emplastrum vesicatorium, inter scapulas applicatum, et tormina et mucum ex alvo egestionem sedaverit; cum interim serum ex parte subjecta educeret, quod mucum dysenterici indolem planissime referebat; spissum nempe, glutinosum, atque ita acre ut, dum amoto emplastro guttatim defluebat, cutim irritaret, rubefaceret, corroderet denique et exederet, eodem plane modo quo mucus dysentericus

cus intestinorum tunicas nonnunquam afficere solet: quod in rheumatismo vehementiori fere solenne est, ubi vesicatoria ad partem dolore affectam applicantur; rarius vero in dysenteria accidit, quoniam ibi magna humorum aqueorum affluentia diluitur et temperatur mucii glutinosi acrimonia; ita ut vix, nisi in summo morbi gradu, effectus iste in intestinis observetur. Vbi vero dysenteria jam forte nimium inveterasset, et aeger ob dejectionum crebritatem in extremum pene discrimen adductus esset; haud raro in ipso curationis meae initio vesicatorium inter scapulas applicari praecepi; cum eodem tempore *ipe-cacoanham*, modo supra exposito, darem. Quod nunquam non feliciter cessit. Quicquid enim ista ratione eductum est, intestinorum affectui detrahitur: adeo ut dysenteriae occurratur, medicinam ita faciendo quasi

quasi illa jam rheumatismum in se
contineret. Denique hanc morborum
similitudinem toties jam observavi
et perspexi, ut dysenteriam jamdu-
dum pro rheumatismo intestinorum
habeam; minime quidem eodem
sensu quo ^a Caelius Aurelianus hanc
appellationem dysenteriae adhibet.
Apud eum enim rheumatismus ni-
hil aliud quam humoris defluxio-
nem significat. Nos vero, id voca-
bulum a doloribus artuum et mus-
culorum ad intestina transferendo,
similem plane utriusque morbi cau-
sam et materiam esse contendimus.

^a *De morb. chron. lib. iv. cap. 6.*





CAPVT QVARTVM.

De actione ipecacoanhae in dysentericos.

IN morbi curatione interpretanda, praecipua esse debet *ipecacoanhae* consideratio. Hujus vero efficacia e duabus facultatibus pendere videtur: primo nempe, quod alvum solutiorem reddat, atque ita humorem, quo morbus nascebatur et quo continetur, e corpore expellat; secundo vero, quod intestinorum tunicas relaxet, atque torminum violentiam infringat; unde doloris maxima pars detrahitur, et adeo tolerabilis fit morbus, ut plerumque sine magna molestia aeger expectare potest dum materiem morbida dejectiones e corpore penitus egresserint. Hoc autem anodyni
medi-

medicamenti officium summa cum aegri incolumitate praestat *ipeca-coanba*, et nullo prorsus incommodo superveniente: cum si opiatis eadem res tentata esset, fieri non posset quin, ex eorum usu tam frequenter repetito et tam diu continuato, ingens et non unius generis periculum vitae et salutis hominis impenderet. Hujusmodi autem vim ullam antispasmodicam ut *ipeca-coan-bae* competere credamus, novum forte quiddam et plerisque minus probabile videbitur. Neutiquam tamen sine idoneis rerum testimoniis hanc sententiam amplexi sumus. Sumpta enim semel iterumve *ipeca-coanba*, fere semper lenior fit dolor torminosus; quanquam dejectionum materies parum aut nihil de solita acrimonia sua et asperitate remiserit; quam sentiunt adhuc intestina, dolore affecta quidem, non tamen, ut prius, in spasmos agitata et contracta.

78 *De actione ipecacoanhae*

stricta. Hoc autem non aliam explanationem admittit, nisi quod medicamentum intestinorum tunicas ita mulcet et relaxat, ut descendens mucis irritatio nequeat illas in tormina contrahere. Eodem pertinet sanguinis effusio ab *ipecacoanha* retardata et suppressa: namque alienissima quidem ab illius indole omnis est astringendi vis, qua vulnerata vasculorum sanguineorum oscula tam cito comprimere et occludere posset. Sed cum virtus ejus antispasmodica tunicarum convulsiones jam impedierit et praevertit, non adeo agitantur illae, neque adeo distenduntur et comprimuntur arteriae et venae minutae quae super eas decurrunt.

QVINETIAM aliis quoque indicis satis patet istaec *ipecacoanhae* antispasmodica vis. Quid, quod ipsa vomendi actio exinde aptissime deduci

deduci potest? Vomitionem enim et oleum infert, et aqua tepida: quae istam vim sine ulla controversia possident. Ipso quoque *opio*, cui summa inest relaxandi potestas, ventriculum nonnunquam ita fuisse affectum, haud dubie compertum est. Hoc tamen rarius accidit, propterea quod succus iste, dum ex praescriptis medicorum aegrotantibus adhibetur, plerumque vel in *vi-
no albo* liquatus est, vel cum aromatibus, et iis quae ventriculum confirmare possunt, conjunctus. Caeterum in omni nausea, ventriculi nostri fibras resolvi potius quam contrahi, ipsi sentimus. Nimirum tunica ventriculi musculosa fibras habet nonnullas quae os ejus superius, sphincteris modo, muniunt; tum alias etiam quae per ejus longitudinem pylorum versus tendunt, et cibos deorsum in intestina trudent. His autem et illis nimirum
um

80 *De actione ipecacoanhae*

um forte relaxatis, muscoli abdominales, pressione sua, quicquid ventriculus continet retrorsum agunt in oesophagum: tum etiam septum transversum, dum aër emititur e thorace, ascendit; ascensu isto ventriculus sursum trahitur; et fit vomitio. Adeo ut minime mirum videri debet, quod *ipecacoanhae*, vomitorio nempe certissimo, vim relaxandi adscribimus.

EADEM porro facultas in eo perspicitur, quod *ipecacoanha* cum *opio* conjuncta ad laxanda cutis universae vascula omni alio medicamento potior est; et sudores blandissimos et copiosissimos movet. Id vero non ita vulgo notum est, eandem quoque asthmatis spasmodici remedium esse longe praestantissimum. Scilicet ubi tanta contractio bronchia tenuit et membranaceas pulmonum cellulas, ut nulla fere concede-

cederetur aëri ingressio; et ubi nullum fuerat auxilium in venae sectione, in emplastris vesicatoriis, in *gummosis graveolentibus*, in *scilliticis*, in *salibus volatilibus*, in *moscho*, in *camphora*, in ipso denique *opio*; repetito tamen *ipecacoanbae* usu, contractionem illam saepius resolutam vidi, atque adeo recuperatam spirandi libertatem et homines a propinqua morte ereptos. Sed de hac re alias forsan erit opportunior dicendi locus.



ERRATA.

Pag. Lin.

23. 11. *pro ille lege hic*

41. 11. *pro igitur, lege enim*

ibid. 18. *post cedit, inferere haec verba; vel potius quid
primum aeger cessasse agnoscit,*

48. 5. *pro debitato; lege debilitato;*

54. 13. *pro moschum, lege moschus,*